

diuntur. O lucerna digne supra candelabrum ecclesiæ posita, quæ late catholicis urbibus de  
 septiformi ligno pastum oleo laticia lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines  
 discutis, & lucem ueritatis à confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas.  
 Vides frater unanime, admirabilis in Christo domino & suscipiende, quæ familiariter agno  
 uerim te, quanto admirer stupore, quàm magno amore complectar, qui quotidie collo  
 quio litterarum tuarum fruor, & oris tui spiritu uescor. Os enim tuum fistulam aquæ uiuæ  
 & uenâ fontis æterni merito dixerim, quia fons uitæ aquæ salientis in uitam æternâ Chri  
 stus effectus est. Cuius desiderio sitiuit in te anima mea, & ubertate tui fluminis inebriari  
 terra mea concupiuit. Ideo quæ cum hoc pentateucho tuo contra Manichæos me satis arma  
 ueris, si qua in alios quoque hostes catholicæ fidei munimina cõparasti, quia hostis noster  
 cui mille nocendi artes, tam uarijs expugnandus est telis quæ oppugnat insidijs, quæso pro  
 mere mihi de armamentario tuo, & conferre nõ abnuas arma iusticiæ. Sum enim laborio  
 sus, & iam nunc sub magno honore peccator, ueteranus in numero peccatorum, sed æter  
 no regi nouus in corpore tyro militiae. Sapientiam mundi miser hucusque miratus sum, &  
 per inutiles litteras reprobata quæ prudentiam deo stultus & mutus fui. Postquam inuere  
 raui inter inimicos meos, & euanui in cogitationibus meis, leuauit oculos meos in montes,  
 ad præcepta legis & gratiæ dona suspiciens: unde mihi auxilium uenit à domino, qui non  
 secundum iniquitates retribuens, illuminauit cæcum, soluit compeditum, humiliauit erectum  
 male, ut erigeret humiliatum pie. Sequor igitur non æquis adhuc passibus magna iustorum  
 uestigia, si possim orationibus uestris apprehendere, in quo dei miserationibus apprehensus  
 sum. Rege ergo paruulum in terra reptantem, & tuis gressibus ingredi doce. Nolo enim in  
 me corporalis ortus magis quàm spiritalis exortus ætatem consideres. Quippe ætas mihi  
 secundum carnem ea est, qua fuit ille ab apostolis in porta speciosa uerbi potestate sanatus.  
 In natalibus autem animæ, illius adhuc mihi tempus infantia est, quæ intentatis Christo  
 uulneribus immolata digno sanguine agni uictimam præcurrit, & dominicam auspica  
 ta est passionem. Atque ideo ut infantem adhuc uerbo dei & spiritali ætate lactentem, edu  
 ca uerbis tuis, uberibus fidei sapientiæ charitatis inhiantem. Si officium commune conside  
 ras frater es, si maturitatem ingenij tui & sensuum, pater mihi es, & si forte sis æuo iunior,  
 quia te ad maturitatem meriti honor seniore proeuit, & iuuenem cana prudentia. For  
 ue igitur & corrobora me in sacris litteris & spiritalibus studijs, tempore ( ut dixi ) recen  
 tem, & ob hoc post longa discrimina, post multa naufragia, usu rudem, uix dum à flucti  
 bus seculi emergentem, tu qui iam solido litore constitutus, tuto excipe sinu, ut in portu sa  
 lutis, si dignum putas, pariter nauigemus. Interea me de periculis uitæ istius & profundo  
 peccatorum euadere nitentem, orationibus tuis tanquam tabula sustine, ut de hoc mundo  
 quasi de naufragio nudus euadam. Idcirco enim me leuare sarcinis, & uestimentis oneran  
 tibus exuere curauit, ut undosum hoc, quod inter nos & deum peccatis interlatrantibus se  
 parat, præsentis uitæ salum, omni amictu carnis, & cura diei sequentis, iubente & adiuuante  
 Christo expeditus enatem: neque id me perfecisse gloriatur, quod & si gloriari possem, in do  
 mino gloriarer, cuius est perficere quod nobis adiacet uelle. Sed concupiscit adhuc anima  
 mea desiderare iudicia domini. Vide quando assequatur effectum dei uoluntatum, qui ad  
 huc ipsum desiderare desiderat. Quod in me tamen est, dilexi decorem domus sanctæ, &  
 quantum in me fuit, elegeram abiectus esse in domo domini. Sed cui placuit segregare me  
 ab utero matris meæ, & ab amicitia carnis & sanguinis ad gratiam suam trahere, eidem  
 placuit inopem me omnis boni meriti, suscitare de terra & de lacu miseriarum, ac de luto fe  
 cis educere, ut collocaret me cum principibus populi sui, & partem meam in tua sorte po  
 neret, ut te præstante meritis, officio sociatus æquarer. Præsumptione igitur non mea sed  
 placito & ordinatione domini, fraternitatis tuæ mihi scædus usurpans, tanto indignus ho  
 nore me dignor, quia te pro tua sanctitate certo scio, nam ueritatem sapis, non alta sape  
 re, sed humilibus congruere. Ideoque prompte & intime recepturum spero charitatem hu  
 militatis

Acto. 3. & 4.  
 Dicitur anno  
 rum amplius  
 quàm. 40.

Ro. 12. σωμα  
 παράλληλοι.